



**Praxis Bene Meditandi**

**Berzetti, Nicola**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Promoemium Autoris.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](#)

## PROOEMIUM AUTORIS.

**R**erum spiritualium & divinarum meditationem unam esse ex præcipuis functionibus, quibus homo in hac vitâ occupari potest, nemo est qui dubitet, per illam enim intellectu, superno lumine adiuto, inquirimus, & invenimus sanctissimam ipsius Dei voluntatem, quæ est sanctificatio nostra; voluntate eandem desideramus atque amamus; memoriâ illius recordamur; imaginatione apprehendimus, imo quasi ipsis corporeis sensibus ac membris amplectimur, ut exequamur. Ita ut verè dici possit, nullam esse in homine sive exteriorem sive interiorem potentiam, quæ me-

Proarium

dante meditatione non se totam Ex-  
ercitio divinæ laudis, propter quam  
partialiter creatus est homo, impen-  
dat. Nec solum illam partem finis,  
qua huius vita propria est, assequitur;  
verum certa quādam participatione,  
& proportione ad illam etiam, qua est  
propria futuræ pertingit: cùm enim  
illa in continuâ visione, amore, &  
fruitione divina maiestatis, pro diver-  
so meritorum gradu, nullius alterius  
rei desiderio interrupta, consistat; sine  
dubio dum quis se perfectissimæ cogni-  
tum ardentissimo amori, & suavissimæ  
fruitioni divinæ (qua quidem in mi-  
seria hac vita haberi potest) per medi-  
ationem dedit, proportione quadam  
ad ipsam fælicitatem beatorum, qua  
est summa ac perfectissima pars finis

humani

Autoris

mans creationis, participandam accedit.

Verum quidem est, quod ob infelicem huius mundi conditionem homo variis cogitationibus distractus, atque aliis desideriis præoccupatus, absque violentia quadam, felicitate hac continuò frui non possit, nihilominus adiuvante Deo, à quo omnis meditatio, ut donum perfectum procedit, circa quem meditando occupatur, cuin quo conversatur, & loquitur, accedente etiam diligentia, atque industria propria, potest ad eam cum Deo unionem pervenire, ut si non continuò, certo saltem tempore eadem etiam cum perfezione aliqua fruatur. Itaque magna est adhibenda diligentia (sicut in aliis quoque præcipuis & delicatis Exer-

## Proæmium

citiis fieri consuerit) ut bene fiat, non  
solum ob iam dicta, quæ illam deside-  
rant; sed etiam ob naturam ipsius me-  
ditationis, à Doctoribus iis verbis ex-  
plicatam, quæ singularem diligen-  
tiā ac studium exigunt; Modò enim  
studiosa mentis intentio, dili-  
genter rei alicujus investigationi  
insistens; modò providus quidam  
obtutus veritati investigandæ  
fortiter insixus, definitur; Modò  
curiosa & sagax mentis violentia,  
obscurarum rerum investiga-  
trix, & implicatarum, ac perple-  
xatum enodatrix; Modò fortis &  
vehemens animi ad inquiren-  
dum, cognoscendum, gustan-  
dum divinum aliquid applicatio  
dicitur, Modò alia fortitur membra &

descri-

*Autoris*

descriptio*n*es, quae omnes magnum co-  
natum ex parte eius, qui vult medi-  
tari, postulant. Vnde abs re non erit,  
modum aliquem practicum in sancto  
hoc Exercitio, ne aut negligenter, aut  
sine desiderato fructu tractetur, usur-  
pandum proponere. Pro maiori ergo  
facilitate, & claritate dicam primò,  
quid ante Meditationem deinde  
Quid tempore ipsius Meditationis,  
denique, quid post absolutam  
Meditationem, faciendum.

MEDI-